

in eo admirationis cumulus crescit, quod in medio flamm-
marum positi hymnum Deo canebant, cum utique notum
5 sit eos qui flammis traduntur statim ut os aperuerint
absumi, et illi quidem beati pueri manent apud Deum
gloriosi et apud homines mirabiles.

Rex vero impius nec mirabilibus movetur nec visionis
et confessionis suae sacramenta miratur sed permanet
10 incredulus; nec tamen punitur neque enim vincitur in eo
patientia Dei, sed tempore plurimo sustentatum vix ali-
quando corripuit, non praeterita puniens sed emenda-
tionem prospiciens in futuris. Denique non in perpetuum
damnatur sed parvo tempore correptus et annis paucis-
15 simis emendatus ad priorem rursus regni reducitur sta-
tum, ita ut damni nil pateretur ex poena, lucri autem
plurimum ex emendatione conquireret. Talis, mihi crede,
talis est erga homines pietas Dei. Nunquam spernit pae-
nitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur. Etiam si
20 ad summum quis perveniat malorum et inde tamen velit
reverti ad virtutis viam, suscipit libenter, amplectitur,
facit omnia quatenus eum ad priorem revocet statum :
quodque est adhuc praestantius et eminentius etiam si
non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem,
25 quantulumcumque tamen et quamlibet brevi tempore
gestam, non respuit paenitentiam, suscipit etiam ipsam
nec patitur quamvis exiguae conversionis perire merce-
dem. Hoc enim mihi indicare videtur Esaias, ubi de
populo Iudaeorum talia quaedam dicit : « Propter pec-
30 catum modice constrictavi eum et percussi eum et averti
faciem meam ab eo, et contristatus est et ambulavit tristis,
et sanavi eum et consolatus sum eum. » Evidentius autem
nobis testimonium dabit etiam rex ille impius qui cupidi-
tatis quidem suae praedam uxoris nequitia quaesivit
35 sed perturbatus ipsius sceleris immanitate paenituit et